

161. Quae cum ita se habeant, in primis demonstrandum nobis est admittendas esse relationes reales; deinde explicandum est, quaeenam sint eius variae species.

Prop. *Relationes reales admittendae sunt* ¹.

Probatur. Si termini, inter quos ordo intercedit, sunt res, quae in natura existunt, et principium, ex quo ordo inter illos terminos enascitur, est utrinque aliquid reale, realem quoque esse oportet relationem, quia relatio nequit esse alterius naturae, quam principia, quae ipsam efficiunt. Atqui indubium est ¹ inter res, quae in natura sunt, quemdam ordinem intercedere, siquidem perfectio rerum, quae in natura sunt, gignitur non solum ex eo, quod ipsis singulis absolute convenit, sed etiam ex ordine, quem ad se invicem habent; ² principia, ex quibus ille ordo efficitur, esse realia, quippe quod ordo in naturis rerum fundatur. Relationes reales igitur re ipsa dari certum est.

162. Iam tres relationis realis species existunt. Prima est, qua unum ad aliud refertur propter aliquam proprietatem essentialem, nempe, qua unum ad aliud eiusmodi ordinem habet, ut cum eo aliquod genus, vel speciem constituat. Hoc modo materia ad formam refertur; haec enim materia, e. g., est corpus humanum, non vero belluinum, quia refertur ad animam humanam, non vero belluinam. Altera est, qua duo ad se invicem referuntur propter aliquam proprietatem accidentalem, ita ut id, per quod unum habet ordinem ad aliud, sit extra essentiam eius. Hoc pacto duo parietes albi ob similitudinem albedinis, quae eorum accidens est, ad se invicem referuntur. Tertia ex principio causalitatis enascitur, nempe ex eo, quod unum ad aliud, tamquam causa ad effectum, vel tamquam effectus ad causam, ordinem habet ².

ART. III. De categoria qualitatis

163. Quid sit qualitas, et quaeenam eius species, iam in Logi-

¹ Hanc veritatem statuere magni momenti est. Etenim, si relationes reales negarentur, non liceret nobis cognoscere ordinem, quo res inter se continentur, ac proinde illarum scientiam assequi. Hinc omnes veteres, et recentes Sceptici in eo toti fuere, ut vim obiectivam relationis impugnant; pervidebant enim, hac sublata, omnem scientiam una tolli.

² Cf s. Bonav., *In lib. I Sent.*, Dist. XXX, a. 1, q. 3 resol.

ca ¹ exposuimus. Hic tantum inquirendum est, utrum, necne *qualitas* sit specialis categoria.

Dubium ex eo enascitur, quod tum differentia specifica, tum accidentia, quae determinant essentiam rei a differentia specifica constitutam, tamquam *qualitates* intelliguntur. At vero, ut in *Logica* iam adnotavimus, differentia specifica, quippe quae determinat genus ad speciem, e. g., animal ad hominem, constituit substantiam, proindeque confundenda non est cum qualitate, de qua hic agimus, siquidem haec, ut diximus, est quoddam accidens substantiae iam constitutae additum. Itaque illud dumtaxat inquirendum est, utrum inter accidentia sit aliquis modus qualitatis, qui specialem categoriam constituat.

164. Prop. *Existit aliquis modus qualitatis, qui specialis categoria est.*

Probatur. Quaedam accidentia substantiam *qualem* efficiunt eo modo, qui nec quantitati, nec relationi, nec ulli alii sex categoriarum convenire potest. Atqui accidentia significantia modum entis, qui ad nullum alium modum reduci potest, ad specialem categoriam referenda sunt. Ergo aliquem modum qualitatis esse specialem categoriam pro certo habendum est.

165. *Maioris* veritas constat ex iis, quae in *Logica* innuimus. Et sane, quantitas, relatio, et alia accidentia non *immediate*, sed *consequenter* qualificant subiectum; siquidem in iis qualificatio substantiae consequitur modum entis, quem in illam inducunt ². At e contrario, sunt quaedam accidentia, quae *per se*, hoc est, quin alium modum entis includant, *simpliciter quale* efficiunt. E. g., scientia, virtus, albedo, rectitudo, curvitas, aliaque huiusmodi accidentia subiectum scientia, aut virtute praeditum, album, rectum, aut curvum, aut aliis id genus modis *quale* simpliciter efficiunt.

CAPVT IX.

De actione, et passione

ART. I. Explicatur modus, quo actio, et passio inter categorias recensentur

166. *Actio* denotat illud, per quod aliquid ab aliquo originem habet. Id, quod ex alio producitur, *effectus*; id, a quo effectus

¹ Part. I, c. I, art. 9, p. 19-20, vol. I. — ² Loc. cit.

producitur, *agens*, vel causa efficiens; id denique, in quod actio terminatur, sive a quo actio recipitur, *patiens*, et receptio actionis *passio* nuncupatur.

167. Iam certum est actionem ab ipso *esse* substantiae creatae distingui, et hanc non semper agere id, quod agere potest: quapropter *actio*, quatenus est quoddam accidens, quo substantia actu aliquid producens constituitur, inter categorias recensetur, quia indicat specialem modum, quo ens determinatur.

168. In actione autem considerare possumus quemdam motum, quatenus incipit ab aliquo, et ad aliquem terminum tendit¹. Iam, etsi actio, et passio conveniant in uno motu, cuius origo est in actione, et terminus in passione, tamen actio, et passio ab se invicem distinguuntur, quia diversa est ratio, qua *agens*, et *patiens* ad eundem motum se habent, nempe « in actione importatur respectus, ut a quo est motus in mobili, in passione vero, ut qui est ab alio² ». Hoc discrimen inter *actionem*, et *passionem* luculentius manifestatur in iis actionibus, quarum terminus, ut mox dicemus, est extra ipsum *agens*. Etenim, monente Aquinate, si actio est in agente, et passio in aliquo extra ipsum *agens*, actio, et passio « non potest esse idem numero accidens, cum unum accidens non possit esse in diversis subiectis³ ».

ART. II. De discrimine inter actionem immanentem et transeuntem

169. Actio *immanens* ea est, cuius effectus in ipso agente locum habet, ita ut idem subiectum sit principium, et terminus actionis; actio autem *transiens* est ea, cuius terminus extra subiectum *agens* fertur, ita ut aliud sit principium actionis, aliud vero terminus. E. g., contemplatio est actio immanens, quia a contemplante proficiscitur, et in contemplante manet; at calefactio non manet in calefaciente, sed ab eo emanat in id, quod calefit, eique calorem impertit. Quapropter actio immanens est perfectio ipsius agentis, transiens autem patientis; e. g., cum animus aliquid intelligit, perficit seipsum, non id, quod intelligit; contra ea, cum sol corpora illuminat, ipse nihil adipiscitur, ex quo perficitur, sed corpora perficit.

¹ S. Thom. *In lib. I Sent.*, Dist. VIII, q. IV, a. 3 ad 3.

² I, q. XXVIII, a. 2 ad 1.

³ *In lib. II Sent.*, Dist. XL, q. I, a. 4 ad 1.

170. Praestat naturam actionis transeuntis diligentius expendere, ut errori Leibnitii⁴ occurramus, qui huiusmodi actionem pro absurda traducit. Iam 1^o actio dicitur transiens. Non prout est actio, sive affectio agentis, nam hoc modo spectata in ipso agente manet; sed ratione termini, sive effectus, quia cum hic sit aliquid ab actione distinctum, extra subiectum *agens* esse potest. 2^o Substantia non potest quidem in alteram agere, quatenus aliquod accidens proprium cum ipsa communicet; nam accidens non potest egredi e subiecto, in quo est, neque extra subiectum volitare, ut aliud subiectum attingat, alioquin in se subsisteret, quod accidentis naturae repugnat. At vero, ut subiectum *agens* in patiente aliquid producat, non oportet ipsum communicare aliquid sui cum illo, sed satis est ipsum virtute sua illud afficere, ut novus modus in eo evolvatur. Hoc ab Aquinate ita explicatur: Ad producendam actionem unius entis in alterum non aliud requiritur, nisi ut unum cum altero coniungatur, sive ut unum quodammodo tangat alterum², vel per contactum *physicum*, uti evenit in actione corporis in aliud corpus, vel per contactum *virtutis*, uti fit in actione spiritus in spiritum, vel spiritus in corpus³.

171. Quae cum ita se habeant, sequentis Propositionis veritas facile evincitur:

Actio transiens nihil absurdi praesefert.

Probat. Ideo, secundum Leibnitium, actio transiens est absurda, quia, si substantia in alteram ageret, aliquod accidens sui proprium ei communicaret; id quod fieri non potest. Atqui falsum est in actione transeunte aliquod accidens ab agente patienti communicari. Ergo actio transiens absurda dici nequit. Sane, uti iam adnotavimus, cum una substantia aliquid in aliam agit, nihil ex se abiicit, et in illam transfert, nihil enim agendo amittit, sed actione sua illam ita afficit et attrahat⁴, ut id, quod in ea extabat *potentia*, quasi evolvat, et ad actum re-

¹ *Nouveau syst. de la nat., et de la grace*, § 12-13. Leibnitium nuperime secutus est Iacobius, *De idealismo, et realismo; Opp.* (germ.), t. II, p. 261, Lipsiae 1812-1825.

² I, q. VIII, a. 1 c. — ³ *Ibid.* q. LXXV, a. 1 ad 3.

⁴ Hinc s. Augustinus sapienter docuit qualitates de subiecto in subiectum transire non migratione, sed affectione, et contagione; *Contr. Iul. Pel.*, lib. V, c. 14.

ducat. « Agens naturale, ad rem inquit s. Thomas, non est traducens propriam formam in alterum subiectum, sed reducens subiectum, quod patitur, de potentia in actum ¹ ». E. g., lignum ex natura sua fieri potest ignis; item lignum figurae vel scamni, vel Caesaris capax est; quocirca ignis non alio modo convertit lignum in ignem, quam quod virtutem igneam in eo latentem explicat, atque artifex in ligno aliquam ex figuris, quarum capax est, educit.

ART. III. De notione causae generatim consideratae

172. Illud, a quo actio oritur, *principium* ², vel *causa* appellatur. Discrimen inter *principium*, et *causam* s. Thomas perspicue tradidit hoc modo: « Principium nihil aliud significat, quam id, a quo aliquid procedit; omne enim, a quo aliquid procedit quocumque modo, dicimus esse principium ³ ». Ast « hoc nomen causae videtur importare . . . dependentiam alicuius ab altero, quam non importat nomen principii ⁴ ».

173. Ex his intelligitur notionem *principii communioem* esse notionem causae ⁵, quia principium significat tantum illud, a quo aliquid originem habet, sed causa significat etiam productionem illius rei, quae ab ipsa sumit originem. Quod cum ita se habeat, dicendum est 1^o naturam causae saltem numero distingui a natura effectus, et causam, si non *tempore*, saltem *natura*, ut mox explicabimus, praecedere effectui; nam si unum ex his duobus desit, concipi non posset, quomodo effectus a causa pendeat; 2^o haec duo ad notionem principii non expostulari, quippe quod in ea non productio, sed dumtaxat origo alicuius ab aliquo continetur ⁶.

174. Itaque nomine *causae generatim acceptae* designatur il-

¹ *Qq. disp.*, De Pot., q. III, a. 13 c.

² *Principium* hic accipimus, prout illud est, ex cuius actione aliquid oritur, non vero prout est illud, ex quo aliquid quocumque modo exordium sumit. Hoc altero sensu *principium* appellamus primam partem rei, quia rem ab ea exordiri intelligimus, et praemissas dicimus *principium* conclusionis, quia sunt id, ex quo conclusio cognosci incipit.

³ I, q. XXXIII, a. 1 c. — ⁴ *Ibid.* ad 1. — ⁵ *Ibid.*

⁶ Advertendum est cum s. Bonaventura (*In lib. I Sent.*, Dist. XXIX, a. 1, q. I ad arg.), nullum esse in rebus creatis principium, quod simul causa non sit: in iis enim quicquid ex aliquo principio oritur, semper naturam ab illius natura saltem numero distinctam recipit, proindeque ab eodem dependet. In Divinis autem Pater principium Filii, et Pater, et Fi-

lius, quod aliqua ratione quidquam confert ad alterius productionem, quemadmodum vicissim nomine *effectus* vocatur illud, quod aliqua ratione a causa producitur, ab eaque pendet.

ART. IV. De causarum variis speciebus

175. Causa ita a Patribus, et Scholasticis distinguitur, ut alia *efficiens*, alia *materialis*, alia *formalis*, alia denique *finalis* dicatur ¹. Etenim nullus effectus produci potest, nisi sit aliquod ens, a quo producat. Ens istud, quod virtute sua effectum producit, ipsumque a potentia ad actum transfert, *efficiens* causa vocatur. Iam vero nulla creata vis, ut suo loco videbimus, potest aliquid ex nihilo producere, ac proinde *efficiens* causa creata non potest vim suam exercere, nisi subiectum aliquid reperiat, ex quo effectus formetur. Hoc subiectum *materia*, sive *causa materialis* appellatur. At *materia* ad hoc potius, quam ad aliud esse recipiendum est indifferens; quapropter oportet materiam per aliquid determinari, ut certus aliquis, distinctusque effectus oriatur. Id, quod materiam determinat, *causa formalis* vocatur ². Denique aliquid esse debet, propter quod causa *efficiens* unum potius, quam alium determinatum effectum producit. Illud, propter quod agens aliquid operatur, *finis*, vel *causa finalis* dicitur.

176. Iam causae finales negari non possunt; seu quicquid aliquid agit, propter aliquem finem illud agat oportet ³. Etenim naturale est omni causae actione sua in effectum illam formam inducere, quam in se habet, sive forma in causa existat secundum esse naturale, uti forma filii in patre, sive secundum esse intelligibile, uti idea domus in mente architecti ⁴. Atqui produ-

lius principium Spiritus Sancti recte, et proprie dicuntur, siquidem principium denotat ordinem originis, quin ullam distinctionem naturae, ullamque prioritatem sive naturae, sive temporis includat.

¹ Cf. Clem. Alex., *Strom.*, lib. VIII, c. 9, et s. Thom., 2^a 2^{ae}, q. XXVII, a. 3 c.

² Causa *efficiens*, quae intellectu pollet, nequit effectui suo formam impartire, nisi eam sua cogitatione concipiat. Haec forma, quae in mente causae *efficientis* existit, et « ad cuius imitationem aliquid fit » (*Qq. disp.*, De Ver., q. VIII, a. 8 ad 1), dicitur *exemplaris*. Hinc vides causam *exemplarem* ad formalem reduci, hoc tantum discrimine, quod haec est interna effectui, illa autem externa. Cf. *ibid.*, q. III, a. 3 c.

³ Hinc omne agens propter finem agere dicitur. Hic autem finis vel a Deo constituitur, vel ab ipso agente, si ratione polleat, eligitur.

⁴ *In lib. IV Sent.*, Dist. I, q. 1, art. 4, sol. 4 c.

ctio formae in re producta dicitur finis producentis¹. Ergo cui-
libet causae propter finem agere naturale est. Praeterea, omnis
causa, cum agit, ad determinatum effectum producendum spectat;
nam si ad plures effectus producendos indifferens esset, nulla
ratio foret, cur potius unum, quam aliud ageret. Atqui illud
certum, et determinatum, ad quod causa spectat, finis eius di-
citur². Ergo quidquid causa agit, propter aliquem finem agit³.

177. Iam finis distinguitur 1° in finem *proximum*, et *remo-
tum*, vel *ultimum*; 2° in finem *principalem*, et *accessorium*; 3°
in finem *operis*, et *operantis*. Finis *proximus* ille est, qui *imme-
diate*, nempe nullo alio sine interposito; *remotus* autem, qui *me-
diate*, nempe alio, vel aliis finibus interpositis, ab agente propo-
nitur. E. g., praelium est finis proximus exercitus ad aciem in-
structi; victoria est finis remotus. Hic autem finis remotus, si
sit velut ultimus terminus, in quo agens quiescit, dicitur finis
ultimus, cuiusmodi homini est beatitudo. Quare finis ultimus de-
finitur id, quod expetitur propter se tantum, et propter quod
cetera omnia expetuntur. *Primarius* autem ille finis dicitur,
quem agens ita sibi proponit, ut etiamsi omnis alius deesset, ab
operando non desisteret, atque *accessorius* dicitur ille, quem a-
gens ita intendit, ut, si solus esset, opus non efficeret. E. g., u-
tilitas potest esse finis *primarius*, et delectatio finis *accessorius*,
ob quem aliquis philosophiae studio operam navat. Denique fi-
nis *operis* dicitur ille, ad quem opus natura sua spectat; e. g.,
finis canendi est cantus; finis autem operantis est ille, quem o-
perans sibi proponit, e. g., finis canentis potest esse lucrum,
vel gloria, vel etiam ipse cantus; nihil enim prohibet, quin finis
operantis sit id ipsum, quod est finis operis⁴.

¹ I, q. XV, a. 1 c. — ² *Contr. Gent.*, lib. III, c. 2. — ³ 1^a 2^{ae}, q. I, a. 2 c.

⁴ Finis dicitur primus in ordine intentionis, postremus in ordine execu-
tionis, nempe finis, quatenus causam efficientem ad aliquid operandum mo-
vet, est primus in ordine intentionis; quatenus vero non nisi postquam actio
completa sit, obtinetur, est postremus in ordine executionis. Ex his vides
futile esse id, quod post Epicureos a Spinoza, Buffono, et Laplaceo obi-
citur, nempe theoriam de fine absurdam esse ex eo, quod statuit aliquid
esse prius, et posterius. Etenim, quamvis finis sit prior, et posterior, ta-
men id ex diversitate respectuum, qua omnis repugnantia tollitur, con-
tingit. Exinde etiam aliud argumentum pro causis finalibus petitur. Ete-
nim in ordine causarum, quarum una alii subiicitur, una sublata, cete-
rae tolluntur (1^a 2^{ae}, q. I, a. 2 c.). Atqui causa finalis primum, ut dixi-

178. Ex his variis causae speciebus efficienti nomen *causae*
potissimum tribui solet. Ratio est, quia causalitas causae effi-
cientis, sive eius influxus in effectum positus est in actione¹;
id autem de aliis causae generibus asserti nequit; nam causa fi-
nalis ad effectum ex eo concurrat, quod efficientem causam ad
agendum movet; causae autem materialis, et formalis ex eo, quod
effectum intrinsecus constituunt.

ART. V. Quomodo causa efficiens prior effectu sit, explicatur

179. Quoniam, ut diximus, nomen *causae* efficienti causae po-
tissimum tribuitur, de hac speciatim disserendum nobis est. At-
que ante omnia explicemus oportet, qua ratione causa efficiens
prior suo effectu dicatur, ne cum Aenesidemo notio causae ef-
ficientis veluti absurda traducatur. Etenim antiquus iste Scepti-
cus, ut notionem huius causae e medio tolleret, ipsam duo se-
cum pugnantia complecti putavit, nempe, quod causa existit ante
effectum, secus non posset illum producere, et quod non exi-
stit, nisi cum effectus existit, quia causa non potest esse causa,
nisi cum existit effectus².

180. Iam distinguendae sunt causae, quae actione *successiva*,
nempe *per motum* producunt effectum, ab iis, quae agunt *sine
motu*, id est actione *instantanea*. Praeterea, causa spectanda est
prout est causa, et prout est in se, id est sine relatione ad effe-
ctum. Denique adnotandum est discrimen inter *prioritatem tem-
poris*, et *prioritatem naturae*. *Prioritas naturae* illa dicitur, qua
aliquid, etsi simul cum alio existat, tamen eiusmodi est, ut al-
terum ab ipso quoad existentiam pendeat. *Prioritas temporis*
vocatur illa, qua unum alteri praecedat duratione, ipsoque non-
dum existente, existit.

181. His praemissis, si prioritas naturae spectetur, indubium
est omnem causam esse *natura* semper priorem suo effectu, quia
omnis effectus a sua causa necessario pendet. At si prioritas
temporis consideretur, causa, secundum diversos respectus, vel
prior effectu, vel simul cum effectu esse potest. Etenim id,
quod aliquid efficit, si consideretur sub ratione causae, certe

mus, inter causas locum tenet. Ergo, si nullae causae finales essent, ne-
ullae quidem causae efficientes darentur.

¹ *Qq. dispp.*, De Ver., q. XXII, a. 2 c.

² Cf. *Sext. Empir.*, *Hypoth. Pyrrh.*, lib. III, c. 3, sect. 25, et 26.

non potest esse prius, quam effectus, quia, antequam aliquid effecerit, causa dici nequit; sed si spectetur in se, nempe sine ulla relatione ad effectum, interdum simul cum effectu existit, interdum ipsi praecedit, quippe quod causa, quae effectum *successive* producit, effectui tempore praecedit, ut pater filium; sed causa, quae *subito* actionem suam exerit, simul cum effectu existit, e.g., sol cum luce. Quae cum ita sint, liquet commentitiam esse illam repugnantiam, quam Aenesidemus in notione causae delitescere putavit.

ART. VI. De vi obiectiva causae efficientis, et de principio causalitatis

182. Principium causalitatis est illud, quo ab existentia effectus existentia causae arguitur, atque hoc modo enunciatur: *quidquid fit, sui causam habet*, vel, *omnis effectus subaudit causam*. Iam, secundum David Humium, experientia, quae, ut ipse opinatur, est unica cognitionis nostrae causa, vinculum consecutionis, non vero connexionis inter facta naturalia patet; hinc ipse vim obiectivam notionis causae e medio sustulit, atque principium causalitatis, quo dependentia inter causam, et effectum statuitur, inter praeiudicia nostrae mentis amandavit¹.

183. Prop. 1^a. *Notio causae est obiectiva*.

Probatur. Mens nostra ad notionem universalem causae assurgit ex iis, quae ope experientiae comperit. Atqui notio, quam hoc modo mens sibi comparat, realitate obiectiva gaudere dicenda est. Ergo notio causae est obiectiva.

184. *Maior* probatur hunc in modum: Animam nostram novos modos in se ipsa efficere intima, iugique experientia edocemur. « Vivere se, inquit s. Augustinus, et meminisse, et intelligere, et velle, et cogitare, et scire quis dubitet? »² Insuper, cum factum sensationis expendimus, animam in se ipsa passivam, atque ab obiecti exterioris actione affectam experiri facile agnoscimus³. Iam intellectus, si in haec primitivae experientiae facta vim suam intendit, facile advertit quasdam esse entitates, quae ex influxu alicuius vis activae originem habent, at-

¹ *Tract. de nat. hum.* (angl.), lib. II, part. IV, c. 6. Id ipsum ante Humium asseruerat Glanvilleus, *Scopsis scientifica adversus dogmaticorum vanitates*, Lond. 1603.

² *De Trin.*, lib. X, c. 10, n. 14.

³ *Cf. Dynam.*, c. III, art. 4, p. 114-116, vol. I.

que hoc pacto notionem alicuius, quod fit, et alicuius, a quo fit, hoc est, effectus, et causae adipiscitur; quas notiones universales reddit, quatenus ab ipsis quaecumque determinationem, e.g., hanc vel illam entitatem, quae producitur, atque hanc, vel illam producendi rationem, abstrahit. Ergo mens nostra ex iis, quae ope experientiae comperit, ad universalem notionem causae assurgit.

185. Prop. 2^a. *Principium causalitatis desumit suam vim ex ipso principio contradictionis*.

Probatur. Principium causalitatis, nempe, *quidquid fit, sui causam habet*, est verum iudicium *analyticum*¹, in quo praedicatum ita cum subiecto connectitur, ut si *habere causam* de effectu negetur, ipse effectus evanesceret, ac proinde simul esset, et non esset effectus. Ergo principium causalitatis ab ipso principio contradictionis vim suam sumit.

186. *Antecedens* ita demonstratur: Effectus, fatente ipso Humio, est aliquid, quod incipit existere, dum antea non existebat, seu quod a statu possibilitatis ad statum existentiae progreditur. Atqui aliquid « de potentia non potest reduci in actum, nisi per aliquod ens actu »². Ergo ut effectus existentiam accipiat, aliquid iam in actu esse oportet, quod hanc existentiam ei largitur. Atqui id, quod effectui existentiam largitur, non potest esse idem effectus, sed debet esse aliquid ab eo distinctum³. Ergo notio effectus exoptulat notionem alterius rei, quae sua virtute existentiam effectui largitur. Atqui res, quae existentiam alteri largitur, causa illius est. Ergo notio effectus est eiusmodi, ut notionem causae necessario exoptulet, ac proinde si haec causae exigentia ab effectu auferatur, ipsa notio effectus evanescit⁴.

187. Obiicit Humius: Experientia successionem, non vero

¹ De his iudiciis *analyticis* cf. *Idealog.* c. I, art. 4, p. 196, not. 1, vol. I.

² I, q. II, a. 3 c.

³ « Nec est possibile, quod aliquid sit causa efficiens sui ipsius, quia sic esset prius seipso, quod est impossibile »; *Ibid.*

⁴ Inde Kantius etiam refellitur, qui principium causalitatis inter sua principia *synthetica a priori* (cf. *Ideal.*, loc. cit.), recensuit. Nam in principio causalitatis, quemadmodum ostendimus, ex notione subiecti notio praedicati evolvitur, id quod, secundum ipsum Kantium, analyticorum iudiciorum proprium est.

connexionem factorum naturalium nobis patefacit. Ergo alterum alterius esse causam colligere nobis non licet.

188. Resp., *neg. ant.* Perperam Humius contendit nos ex praeiudicata nostra opinione dependentiam inter res statuere, quia ipsas non nisi sibi invicem succedere experimur. Etenim distinguenda est cognitio dependentiae unius rei ab alia, atque cognitio necessitatis huiusmodi dependentiae¹. Iam, quod ad primam cognitionem spectat, experientia saepe nobis patefacit non simplicem successionem, sed actionem unius in aliud, ac proinde dependentiam unius ab altero, a quo producitur. E.g., ipsa nos edocet sensationes in anima a corporibus, sensum doloris ex suscepto vulnere, extinctionem famis, et sitis ex sumptione cibi, et potus, combustionem ligni ex eius projectione in ignem effici. Hoc adeo verum est, ut ea, quae sibi invicem succedunt, ab iis, quorum unum ab altero producitur, discernamus. E.g., nos dicimus ignem esse causam fumi; at non dicimus diem esse causam noctis, aut unam tempestatem esse causam alterius. Quod si de cognitione necessitatis huiusmodi dependentiae sermo habeatur, sane eam experientia non demonstrat, sed intellectus perficit, ope illius pronuntiati, quod Scotus ita enunciavit: « Quidquid evenit ut in pluribus ab aliqua causa non libera, est effectus naturalis illius causae² ».

ART. VII. *Refutatur Occasionalismus*

189. Non pauci Cartesiani post Malebranchium³ autumant Deum esse unicam causam agentem, res autem creatas omni activitate destitui, nihilque aliud praestare, quam quod Deo occasionem agendi praebent. Haec sententia *Occasionalismus* appellatur. Ipsa autem, quam etiam hac nostra aetate ab Debreyneus⁴, Buchezius⁵, alique propugnant, auctores habuit quosdam veteres⁶, ex quorum opinione Deus, dum res in quibusdam circumstantiis positas intuetur, secundum leges, quas ad mun-

¹ Cf Scot., *In lib. I Sent.*, Dist. III, q. IV, *schol.*

² *Loc. cit.* Cf *Criterionol.*, c. IV, art. 2, p. 244, vol. I.

³ *De inquir. ver.*, lib. VI, pars II, c. 3.

⁴ *Théorie biblique de la cosmogonie, et de la géologie*, Paris 1848.

⁵ *Introd. à l'étude des sciences médicales*, leç. II, p. 67 sqq, Paris 1838.

⁶ Horum mentio occurrit apud B. Alb. M. (*Phys.*, lib. II, tract. II, c. 3), et apud s. Thomam, *Qq. disp.*, *De Pot.*, q. III, a. 7.

di conservationem sibi praescripsit, effectus producit, qui ab ipsis rebus produci videntur.

190. Prop. *Vim agendi rebus creatis inesse haud repugnat¹.*

Probat. Nulla ratio, cur rebus creatis vis agendi repugnet, sumi potest neque ex natura rerum creatarum, in quibus illa concipitur, neque ex natura Dei, qui illam cum ipsis communicat. Ergo vis agendi rebus creatis haud repugnat.

191. *Antecedens* ita demonstratur: 1° Si res ipsae considerentur, vim effectricem eis inesse absurdum non est. Etenim vis agendi, quae a Causa Prima pendet, limitibusque definitur, et pro diversa creaturarum indole diversa est, naturae rerum non modo non adversatur, sed etiam omnino convenit. Atqui huiusmodi est vis effectrix, quam nos creaturis adversus Malebranchianos vindicamus; non enim nobis volumus huiusmodi vim rebus creatis convenire, ut ipsae quidquam ex nihilo efficere valeant; sed solum contendimus res creatas posse a Deo eiusmodi vi ornari, ut, ipso Deo ad illarum actiones concurrente, aliquid ex praexistente materia efficiant. Ergo vim effectricem rebus creatis inesse, si res ipsae considerentur, absurdum non est.

2° Nec, si consideretur Deus, qui vim agendi cum rebus creatis communicat. Et sane, Deus potest « communicare aliis similitudinem suam, quantum ad esse, in quantum res in esse produxit ». Ergo potest communicare eis « similitudinem suam quantum ad agere, ut etiam res creatae habeant proprias actiones² ».

192. Secundum Occasionalistas, creaturas quidquam operari repugnat, 1° quia, cum Deus sit causa perfectissima, aliae causae, praeter Deum, admitti non possunt; 2° quia si Deus dumtaxat omnia, quae in mundo fiunt, operari dicatur, iidem effectus in mundo existerent, ac proinde Deus, si vim agendi cum rebus a se creatis communicaret, frustra aliquid moliretur, id quod Divinae Sapientiae refragatur.

193. Ast ipsi longe opinione falluntur. Etenim quod spectat ad primum, nos tuemur alias causas, praeter Deum, admitti posse « non ex insufficientia, ut s. Thomas ait, Divinae virtu-

¹ Id tantum, ne Ontologiae fines egrediamur, demonstrandum nobis hic est. Utrum autem, necne vis quaedam actuosa insit rebus creatis, in *Cosmologia* investigabimus.

² Ita argumentatus est s. Thomas, *Contr. Gent.*, lib. III, c. 69.

tis, sed ex immensitate Bonitatis ipsius, per quam suam similitudinem rebus communicare voluit, non solum quantum ad hoc, quod essent, sed etiam quantum ad hoc, quod aliorum causae essent¹ ». Iamvero, quemadmodum infinita perfectio Dei non impedit, quominus plurima alia imperfecta existant, cuiusmodi sunt contingentia, et finita; ita non vetat admittere alias causas, quae per virtutem a Causa Prima, nempe a Deo acceptam, agant, ab Eaque in operationibus suis pendeant. Quin etiam sicut perfectio Divina non esset dicenda infinita, si Deus non posset aliis extra se rebus existentiam largiri, ita ne infinita quidem ipsa dicenda esset, si Deus cum rebus a se creatis vim agendi communicare non posset.

194. Quod attinet ad alterum, si Deus dumtaxat operaretur omnia, quae in mundo fiunt, procul dubio iidem effectus in mundo conspicerentur, ac si res creatae quoque cum Deo illos producerent. At vero si effectus essent iidem, prout entia sunt, non foret idem illos producendi modus. Namque aliud est effectum produci a solo Deo, aliud vero produci simul a Deo, et a causis creatis; siquidem hoc tum novo argumento est res creatas a Deo pendere, tum ipsius Dei Sapientiam, Bonitatemque magis commendat, qui « etiam dignitatem causandi aliis conferre voluit² ».

ART. VIII. De diversis causae efficientis speciebus

195. Causa efficiens potest esse *principalis*, quae effectum ex propria virtute; vel *instrumentalis*, quae effectum ex virtute principalis producit. E. g., artifex est causa principalis operis artificiosi, atque instrumenta, quibus utitur ad opus efficiendum, sunt causa instrumentalis.

196. Natura causae instrumentalis perbelle explicatur a s. Thoma hoc modo: « Instrumentum, ait, habet duas actiones: unam instrumentalem, secundum quam operatur non in virtute propria, sed in virtute principalis agentis; aliam autem habet actionem propriam, quae competit sibi secundum propriam formam; sicut securi competit scindere ratione suae acuitatis, facere autem lectum, in quantum est instrumentum artis; non autem

¹ *Op. cit.*, *ibid.*, c. 70.

² *In lib. II Sent.*, Dist. I, q. I, a. 4 ad 1.

perficit instrumentalem actionem, nisi exercendo actionem propriam; scindendo enim facit lectum⁴ ».

197. Praeterea, interdum plures causae ad producendum unicum effectum aliquid conferunt. Iam ex iis illa causa, quae immediate effectum attingit, *proxima*, reliquae autem, quae *mediale* ad effectum productionem concurrunt, *remotae* dicuntur². Circa quas species causarum s. Thomas adnotavit naturam effectus ex conditione causae proximae, non vero remotae pendere, quia a causa proxima effectus immediate promanat. E. g., « ex causis proximis aliqui effectus dicuntur necessarii, vel contingentes, non autem ex remotis causis; nam fructificatio plantae est effectus contingens propter causam proximam, quae est vis germinativa, quae potest impediri, et deficere; quamvis causa remota, scilicet sol, sit causa ex necessitate agens³ ».

198. Insuper causa potest esse vel *per se*, sive *propria*, vel *per accidens*. Causa *per se* appellatur, quae illum producit effectum, ad quem naturaliter comparata est. Causa autem *per accidens* duobus modis praecipue dici potest, nempe vel ex eo quod « praeter intentionem ille effectus a tali causa sequitur... sicut fodiens sepulcrum ad sepeliendum, invenit thesaurum praeter intentionem⁴ »; vel ex eo, quod est « removens prohibens, sicut qui extinguit candelam, vel exportat ex domo, dicitur causare tenebras⁵ », quia actione sua id removet, a quo tenebrae dispelluntur.

199. Explicandum etiam est, quaenam sit causa *sine qua non*. Haec, monente s. Thoma⁶, quandoque est eiusmodi, ut nihil

⁴ III, q. LXII, a. 1 ad 2.

² Patet plures esse posse causas proximas, si ad productionem effectus immediate aliquid agunt, e. g., plures baiuli, qui unicum pondus asportant. Tum autem plures causae proximae eiusdem ordinis ad eundem effectum producendum requiruntur, cum ipsae incompletae sunt, quia, si completae essent, iam aliorum consortium excluderent. Cf s. Thom., I, q. LII, a. 4 c.

³ *Contr. Gent.*, lib. III, c. 72. Cf I, q. XIV, a. 13 ad 1, et *In lib. I Sent.*, Dist. XXXVIII, q. I, a. 5 sol.

⁴ *Qq. dispp.*, *De Pot.*, q. III, a. 6 ad 6. Cave tamen, ne inde colligas aliquid fortuitum in hac rerum universitate evenire. Etenim, « ea, quae hic per accidens aguntur, sive in rebus naturalibus, sive in humanis, reducuntur in aliquam causam praecordinantem, quae est providentia divina »; I, q. CXVI, a. 1 c.

⁵ *In lib. I Sent.*, Dist. XLVI, q. I, a. 2 ad 3, —⁶ *In lib. V Met.*, lect. VI.

agat, quandoque eiusmodi, ut aliquid agat ad productionem effectus. Ita, ad motum ignis ad stupam *sine qua* ipsa stupa non comburitur, nihil per se confert ad stupae combustionem, *quantum ad rationem causandi*; e contrario, respiratio, *sine qua* animal non vivit, aliquid ad vitam eius servandam per se agit. Iam, si primum fiat, causa *sine qua non* est causa *per accidens*⁴; sin alterum, est vera concausa.

200. Denique causa distinguitur in *univocam, aequivocam, et analogam*². Causa *univoca* illa est, cuius effectus similis est ipsi causae *secundum eandem rationem specificam*, uti homo est causa univoca hominis, quem generat³. *Aequivoca* dicitur illa, quae cum effectu convenit *secundum eandem rationem genericam*, cuiusmodi est sol respectu eorum, ad quorum productionem ipse concurrat⁴. Denique, si effectus cum causa conveniat tantum *secundum aliquam analogiam*, seu comparisonem, vel ordinem, illa causa *analogica* appellatur. Hinc Deus est causa agens *analogice*⁵, propterea quod, cum nullo genere rerum contineatur, creaturae nequeunt esse participes similitudinis Divinae secundum eandem rationem speciei, aut generis, sed solum secundum aliquam *analogiam*. Enimvero creaturae, quippe quae sunt entia, quamdam imperfectam similitudinem cum Deo, ut primo, et universali principio totius *esse*, praeseferunt⁶.

201. Porro quaelibet causa praestantior est effectu ex eo, quod virtute activa illum producendi pollet⁷. At vero, perfectiones, quae sunt in effectu, inveniuntur in causa univoca *formaliter*, idest secundum eandem rationem, quia effectus causae univocae est eiusdem speciei, sive naturae, ac causa. In causa autem aequivoca inveniuntur diversa ratione, nam causa aequivoca, utpote quae effectus specie diversos producit, perfectiones, quae in eis sunt, secundum eandem rationem complecti non potest; alioquin perfectionibus diversae speciei, ac proinde secum pu-

⁴ Cf. Clem. Alex., *Strom.*, lib. VIII, c. 9.

² I, q. IV, a. 3 c.

³ Quare causae univocae non nisi effectus speciei suae consentaneos edere valent.

⁴ Hinc causae aequivocae plures effectus specie diversos producere possunt. — ⁵ *In lib. I Sent.*, Dist. VIII, q. I, a. 2 sol. — ⁶ Cf. p. 23.

⁷ « Omne, quod fit, inquit s. Augustinus, ei, a quo fit, par esse non potest »; *Qq. LXXXIII*, q. 2; cf. *ibid.*, q. 28.

gnantibus constaret⁴. Id potiori iure de causa analogica dicendum esse quisque ex se perspiciat².

CAPVT X.

De septima categoria, quae dicitur « ubi »

ART. I. Notiones ubi, et loci declarantur

202. Illud accidens, quod substantiae corporeae adiacet, atque efficit, ut ipsa quodam loco contineatur, et circumscribatur, nomine *ubi* designatur. Hinc, secundum B. Albertum M., *ubi* est « circumscriptio corporis a loci circumscriptione procedens³ ». Ex qua notione *ubi* perspiciatur locum, ut idem Doctor inquit, esse illud, « a quo, sicut a causa, fit ipsum *ubi*⁴ ». Quare notio *ubi* ex notione loci magis declaratur.

203. Iam locus secundum Aristotelem definitur: Immobilis superficies corporis, quae aliud corpus *primo* ambit, et circumscribit, ita ut aequalem cum huius superficie proportionem partium, sive mensuram habeat⁵. Vox *primo* significat locum proprie esse illam superficiem, quae corpori contigua est, ipsumque immediate continet; unde nos non dicimus hominem in toto aere existere, sed solum in ea parte, qua circumscribitur. Superficies autem, quae corpus immediate ambit, etsi secundum se moveri possit, tamen non habet rationem loci, sive continentis, nisi tamquam immobilis concipiatur. E. g., etsi, flante vento, superficies talis corporis, puta aeris, mutetur, tamen illa, quae priori succedit, eandem, quam praecedens, capacitatem intra sua latera habere debet; quapropter illa superficies, prout aliud corpus ambit, immobilis dicitur⁶.

¹ I, q. IV, a. 2 c.

² Quanam ratione effectus a Deo creati in Eo contineantur, explicabimus in *Theologia naturali*.

³ *De sex principiis*, tract. V, c. 1. « Ubi, inquit etiam, non est locus, sed in loco aliquid esse »; *De Praedicam.*, tract. VI, c. 2.

⁴ *De sex principiis*, tract. IV, c. 2.

⁵ *Nat. aesc.*, lib. IV, c. 4, § 12.

⁶ Aliud exemplum affert s. Thomas hunc in modum: « Est accipere locum navis in aqua fluente, non secundum hanc aquam, quae fluit, sed secundum ordinem, vel situm, quem habet haec aqua fluens ad totum fluvium: qui quidem ordo vel situs idem remanet in aqua succedente. Et ideo licet aqua materialiter praeterfluat, tamen secundum quod habet rationem lo-